



Cicero
Pro Roscio
Amerino

Narratio 15-18

Sex. Roscius,

pater huiusce,

municeps Amerinus fuit,

cum genere et nobilitate et pecunia

non modo sui municipi,

verum etiam eius vicinitatis facile primus,

tum gratia atque hospitiis florens

hominum nobillissimorum.

Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei
non modo hospitium,
verum etiam domesticus usus et consuetudo,
quas,
ut aequum est,
familias honestatis amplitudinisque gratia nomino.

Itaque ex suis omnibus commodis

hoc solum filio reliquit;

nam patrimonium domestici praedones

vi ereptum possident,

fama et vita innocentis

ab hospitibus amicisque paternis defenditur.

Hic

cum omni tempore nobilitatis fautor fuisset,

tum hoc tumultu proximo,

cum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret,

praeter ceteros in ea vicinitate

eam partem causamque

opera, studio, auctoritate defendit.

Etenim rectum putabat

pro eorum honestate se pugnare

propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur.

Posteaquam victoria constituta est

ab armisque recessimus,

cum proscriberentur homines

atque ex omni regione caperentur ii

qui adversarii fuisse putabantur,

Posteaquam victoria constituta est
ab armisque recessimus,
cum proscriberentur homines
atque ex omni regione caperentur ii
qui adversarii fuisse putabantur,

erat ille Romae frequens

atque in foro et in ore omnium cotidie versabatur,

magis ut exsultare victoria nobilitatis videretur

quam timere,

ne quid ex ea calamitatis sibi accideret.

Erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis,
quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video,
alterum tria huiusce praedia possidere audio;
quas inimicitias si tam cavere potuisset,
quam metuere solebat,
viveret.

Neque enim, iudices, iniuria metuebat.

Nam duo isti sunt

T. Roscii

(quorum alteri Capitoni cognomen est,

iste, qui adest, Magnus vocatur)

homines eius modi:

Nam duo isti sunt

T. Roscii

(quorum alteri Capitoni cognomen est,

iste, qui adest, Magnus vocatur)

homines eius modi:

alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur,

hic autem nuper se ad eum lanistam contulit,

quique ante hanc pugnam tiro esset,

quod sciam,

facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit.

Nam cum hic Sex. Roscius esset Ameriae,

T. Autem iste Roscius Romae,

cum hic filius assiduus in praediis esset

cumque se voluntate patris

rei familiari vitaeque rusticae dedisset,

ipse autem frequens Romae esset,

occiditur ad balneas Pallacinas

rediens a cena Sex. Roscius.

Spero ex hoc ipso non esse obscurum,
ad quem suspicio maleficii pertineat;
verum id, quod adhuc est suspiciosum,
nisi perspicuum res ipsa fecerit,
hunc ad finem culpae iudicatos.